



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Anthologia Sacra**

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis  
versibus comprehensa

**Billy, Jacques de**

**Parisiis, M.D.LXXV.**

Christum eos vt plurimum ad se admittere, quos mundus aspernatur. 57.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50828)

cis adhiberi solet, ab ipsa quoque aduersitate admonetur, vt submissè de se sentiat. Tribulatio enim, inquit Gregorius, aurem cordis aperit, quam prosperitas mundisæpe claudit. Itaque magistri cuiusdam vice illis est, qui ex ea vtilitatem capere norunt. Eaque de causa Cræsus ad Cyrum dicebat: Et si molestiã mihi calamitates meæ attulerūt, eedẽ tamen mihi doctrinæ loco fuerunt. Id quod elegantius ab Herodoto effertur ob eam affinitatem, quæ est inter hæc duo vocabula, παθήματα & μαθήματα.

Herodot.  
li. i.

Christum eos vt plurimum  
ad se admittere, quos  
mundus asper-  
natur.

57.

Quid moeres quòd te mundus fastidit & horret,  
m

## S A C R A

Te cruciat, miris insequiturque modis?  
 Erige te: mundus quos auersatur Et odit,  
 Excipit hos Christus, colligit atque fouet.  
 Sic nempe à Domino crudeli barbarus ager  
 Linquttur, inmiti conteriturque fame.  
 Ast hunc inueniens soboles Iesseæ, benignè  
 Excipit, atque auido pellit ab ore famem.

## S C H O L I A.

Quid mæres) Hoc carmen ad  
 rum consolationem tendit, quod  
 quod mundi sapientia, opibus  
 honoribus careant, aut aliis  
 rebus, quas ille stultè miratur,  
 suspicit, contemni ac reici solent  
 minoris que quã vermes aestimari.  
 Et tamen de huiusmodi hominibus  
 nibus, quos mūdus pro quisquam  
 habet, Deus persepe vasa electio  
 nis efficit. Quæ admodū nobis  
 Amalecitā illū puerū in typo  
 mōstratur, qui cū ob aduersari  
 letudinē à domino relictus fuit  
 à dauide humanissimè excep  
 tus est. Id quod exponēs Gregori

1 Reg. 30

Lib. 5.

nobis hinc significari docet, eos *Moral.*  
 ut plurimū benignissimè ac sua- *cap. 29.*  
 uissimè à deo excipi, quos mūd<sup>o</sup>  
 reicit & aspernatur. Quod etiā *Ioan. 9.*  
 hinc patet, quod Ioānes de cæco  
 nato scribit, qui cū turpiter ac per  
 summā contumeliā à Scribis &  
 Pharisaïs è synagoga eiect<sup>o</sup> fuif-  
 set, cōfestim Christum obuiū ha-  
 buit, ingentique ex eius verbis  
 consolatione affectus est.

Deum supra res omnes aman-  
 dum esse.

58.

*F*œmina si pulchram capiens à coniuge gemmam,  
 Præ gemma nimio spernat amore virum,  
 Equis erit, qui non hanc excretur. Et omni  
 Dignam odio, dignam supplicioque putet?  
 Heu nos iste notat mutato nomine sermo,  
 Plenaque perfidie pectora nostra ferit:  
 Innumeris qui cum donis cumulemur in horas,  
 Preferimus danti munera sumpta Deo.

SCOHLIA.

*Fœmina si pulchram*) Argumen- *Tract. 2.*  
 m ij